



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Titulus III. De Censura interdicti in particulari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](http://urn.nbn.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

# FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

## PARS TERTIA.

### TITULUS III.

De Censura Interdicti in particulari.

*De Interdicto contento in cap. Episcoporum de  
privileg. in 6.*

**C**ontigit aliquando, quod Rectores, Gubernatores, vel Domini temporales, ex aliqua justa causa, publicè ab Ordinario excommunicati; nè videantur ab hominibus, delictum excommunicatione dignum commisissé, censuram contemnentes volunt non tantum divinis interesse, sed etiam de illis participare, & sacramenta recipere, & Ecclesiæ ministri sive timore reverentiali, sive servili seducti, eos recipiunt, & admittunt. Quare Ordinarius quoties casus eveniat, capta informatione excessus, poterit ad interdictum Ecclesiæ locale particulare, vel locale, & personale simul, modo sequenti devenire.

Decreti Interdicti.

### FORMULA I.

**A**ttenta relatione excessus N. publicè communicati, & informatione capta, ex qua constat ipsum in die solemnitatis N. in Ecclesia N. divinis publicè interfuisse, & ad participationem sacramenti Eucharistiae admissum fuisse, Ecclesiam præfatam, nec non Presbyteros N. & N. qui eum temerè receperunt, & admiserunt, Ecclesiastico Interdicto subjicimus, & subjectam, ac subjectos esse volumus, & declaramus, & publicè denunciari mandamus, &c.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

Monacelli Form. Pars III.

P. Publī-

## Publicationis Interdicti.

## F O R M U L A II.

**A**uctoritate Ordinaria denunciatur supposita Ecclesiastico Interdicto Ecclesia N. necnon in eandem pœnam Interdicti ab ingressu Ecclesiae denunciantur incursu N. & N. officiales ejusdem Ecclesiae, ex eo quia temeritatem fuerunt recipere, & admittere ad divina officia, & participationem sacramentorum in proxima præterita festivitate .... B. publicè, & notoriè excommunicatum. Hac die.

N. Episcopus ( sive Vic. Gen. ) N.

Loco ☩ Sigilli .

N. Actuarius.

## S U M M A R I U M .

- 1 Pro delicto Gubernatoria, vel Domini loci interdictum Ecclesia.
- 2 Interdictum personale, afficit interdictos ubique.
- 3 Admittentes publicè excommunicatos ad divina, interdictum ab ingressu Ecclesiae incurront ipso jure, etiam si sint exempti.
- 4 Hoc procedit si fiat scienter, & presumptuose, secus si ignoranter, vel metu mortis, aut amissionis bonorum.
- 5 Si metus incutitur ab extrinseco in contemptum clavium, & potestatis Ecclesiae, non excusat ab incurso, quia tunc potius toleranda est mors, quam cum excommunicato communi-care.
- 6 Recipientes, & admittentes excommunicatum à Papa, excommunicatum Papæ reservatam incurront.
- 7 Excommunicatus contumax, quomodo sit monendum, ostenditur.
- 8 Interdictum locale generale relaxatur pro contumacia personæ publicæ.
- 9 Datur formula interdicti.
- 10 Culpa, & delictum representantium Communitatem est sufficiens, ut locus subjiciatur interdictio.
- 11 Justus timor, & suspicio violentiae,

- quando excusat ab incurso, offenditur.
- 12 Infordecentia non incurritur, nisi post annum completum.
- 13 Infordecentis in excommunicatione, quomodo citetur, traditur.
- 14 Contra infordecentes, quando agat Tribunal S. Officij, ostenditur.
- 15 Interdictum personale est intimandum interdictis.
- 16 Qui dicantur excommunicatum recipere, & admittere, demonstratur.
- 17 Divinorum officiorum nomine, quæ videntur, ostenditur.

## ADNOTATIONES.

**E**CCLÆSIAM PRÆFATAM. Licet in d. cap. Episcorum interdic-tantur solummodo personæ, quæ excommunicatos admittunt: nihilominus quia talis excessus Gubernatoris, seu Domini temporalis, quando est notiorius, fit gravis, tum ratione scandali subditorum, tum ratione offensæ publicæ Prælati, & Ecclesiae, idè expedit, & conveniens est, ut quoque Ecclesiæ interdicatur, si enim pro delicto Domini, vel Rectoris potest interdicti tota Civitas, ut habetur in cap. si sententia de sent. excomm. in 6.

in 6. ita poterit & debet interdici una Ecclesia.

2 Qui eum temere receperunt, & admiserunt. Hic fulminatur interdictum personale particulare nominatum, non per modum unius communitatis, sive Collegii, sed prout sunt plures personae particulares, sub quo non includuntur innocentes, & afficit singulas personas immediate ratione sui, & non ratione loci, vel communis, cuius sunt partes, ideoque ubique eos afficit; ad differentiam Interdicti emanati contra Communitem, Collegium, sive Capitulum, quod comprehendit, & obligat omnia & singula membra, seu partes Communis, quamdiu manent illius membra, & quidem etiam innocentes, nisi specialiter excipiuntur, vel ex tali loco discedant, d. cap. si sententia de sent. excom. in 6. Pirhing. ius can. lib. 5. tit. 39. num. 217.

3 Apponuntur autem in formula publicationis illa verba -- denunciantur incursi, ad denotandum, quod hoc interdictum, quo ad personas admittentes scienter, publicè excommunicatos ad divina, est latæ sententiæ, ut habetur expressum in d. cap. Episcorum, & idem ordinarius illos denunciat, quæ denunciatio, non tantum de Clericis sacerularibus, sed etiam de Regularibus, & aliis exemptis facienda erit, quoties hujus criminis fiant rei, qui tamdiu huic Censuræ subjecti erant, donec Episcopo, cuius sententiam contempserunt, satisfecerint competenter, ut in terminis tradunt Bonac. de interd. in particul. disp. 4. quest. 2. punct. 6. n. 9. Barbo. in d. c. Episcop. n. 1. 2. & 4. Sayr. de cens. lib. 5. c. 14. n. 11.

Additur in Decreto illud adverbium -- 4 temere, ad demonstrandum, quod hæc censura incurritur, quando admittuntur excommunicati denunciati, vel coram eis celebrantur divina officia scienter, & presumptuose, si enim ignoranter, vel coacte id fieret, recipientes, & admittentes, censuram interdicti non incurrent, quia abest temeritas, & presumptio: quæ ad hunc effectum debet concurrere, ut ex verbis text. percipitur ibi -- qui verò contrà presumpserit, quæ ut alibi notatum est, dolum, & temeritatem important,

Graff. dec. aur. par. 1. lib. 1. cap. 13. n. 94. Sperell. decif. 105. num. 8. Unde si quis Sacerdos aliqua necessitate coactus, vel ob periculum imminens mortis, aut ammissionis bonorum, cum excommunicato communicaret, & eum ad participationem Sacramentorum admitteret, huic censuræ non esset subjectus, quia lex Ecclesiæ non obligat cum tanto periculo, ut dicunt dd. mox citandi.

Quod verum est, si Prætor, Gubernator, vel Princeps temporalis excommunicatus: non in contemptum Ecclesiæ, sed ad ostendandum, se non esse excommunicatum, vel pro sua malitia, & libidine metum incuteret, nam tunc non peccaret Sacerdos celebrando, nec censuram incurriteret: quia metus gravis, excusat à transgressione, & contumacia propter quas censura incurritur. Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. de sent. excom. n. 40. At si metus incuteretur ab extrinseco in contemptum clavium, & Ecclesiastice potestatis, ad ostendendum hanc vanam esse, tunc potius mortem pati debet, quam cum eo communicare, ut tradunt de communi Sayr. de censur. lib. 1. c. 18. n. 41. & 42. & lib. 2. cap. 14. n. 41. & seqq. Bonac. de censur. disp. 1. qu. 2. punct. 3. n. 2. Ideo que secundum excessus circumstantias Clerici, communicantes, & admittentes, erunt huic censuræ subjiciendi, vel ab incurso excusandi.

Si autem Gubernator, sive loci Do- 6 minus esset nominatum excommunicatus à Papa, & Clerici cum eo communicarent in Divinis, vel ad Sacraenta percipienda scienter, & sponte admitterent, non tantum interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed excommunicationem Papæ reservatam incurrent, per text. in c. significavit 18. de sent. excomm. ubi Barbo. num. 1. & 2. Navar. in manu. c. 27. n. 93. & alii quos refert, & sequitur Bonac. de excomm. disp. 2. quest. 2. punct. 2. §. 2. n. 7. vers. addo.

Præterea si Gubernator, aut loci Do- 7 minus sub vano prætextu, & erronea opinione, quod excommunicatio contrà se lata, ipsum non afficiat, nec liget, Presbyteros vi, metuè impelleret coram se celebrare, & contumax Ecclesiæ

in excommunicatione infodesceret, tunc Ordinarius debet illum judicialiter mone-re, primò, secundò, & tertio -- ut defi-  
stat, respicat, & exeat à peccato, alias propter suam infodescientiam, & contumia-  
ciam, apponetur interdictum locale genera-  
le, quod si monitionibus ter repetitis cum  
aliquo dierum intervallo, non obediatur,  
ad interdictum generale procedi poterit,

quia prò contumacia personæ publicæ ju-  
risdictionem temporalem habentis, justè,  
& validè relaxatur, juxta dispositionem  
canonis Concilii Basiliensis in hac parte  
a Nicolao V. approbati, ut testantur  
Sayr. de censur. lib. 5. cap. 11. num. 8. & 12.  
Guazzin. jun. ad defens. anim. lib. 2. def.  
6. c. 43. num. 40. 43. & 44. cuius formula  
erit sequens.

### Interdicti localis generalis.

#### F O R M U L A III.

N.N. Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. N.

**A**uctoritate Ordinaria, denunciatur supposita Ecclesiastico Interdicto Terra N. (sive Castrum N.) ex eo, quia N. ejus in temporalibus Domini-nus, (sive Gubernator) cum sit publicè, & notoriè excommunicatus, plures monitus, noluit abstinere ab interessentia Divinis imò Censuras contemnens, Sacerdotes ad celebrandum minis, & imperio coagit. Hac die . . .

N. Episcopus N.

Loco ☩ Sigilli.

N. Actuarius.

10 Et est notandum. Primo, quod non solum culpa, & delictum Domini, sed etiam delictum principali membrorum Universitatis, est causa sufficiens, ut locus interdicto subjiciatur, scilicet Consulum, conservato-rum, Balivorum, & Syndicorum, qui communitatem gubernant, ut advertit Sayr. de censur. lib. 5. c. 11. n. 10.

11 Secundò notandum, quod ad excusandum Clericos, qui admiserunt excom-municatum ad Divina, ab incursu hujus censuræ, aliquandò erit sufficiens justus timor, seu suspicio violentiæ, si excom-municatus sit potentia temporali prædi-tus, licet actus vim non intulerit, sicut enim timor excommunicationis, licet iniuste à Superiore comminatae, inducit justum metum, qui æquiparatur metui cadenti in constantem virum, ut de com-muni tradit Paris. de resignat. lib. 13. q. 1. num. 129. usque ad num. 141. & suspicio

fugæ Débitoris, idem operatur, quod ipsa fuga, timor, & suspicio fabrica-tionis Processus contra aliquem, idem quod ipsa fabricatio, quantum ad ex-cusandum fugam indicati, prout est in Beneficiato, qui sciens Judicem contrâ ipsum inquire, præveniens carcerationem, se spontè constituit in Carceribus, si fuit postea absolutus, recuperat pro tempore carcerationis distributiones, ut cœnuit S. Congr. Concilii 19. August. 1684. qui stat cum alio armatus, dicitur ei opem ferre in delinquendo, quamvis non evaginet arma, aut faciat aliquem actum comminatorium, item qui spontè solvit ei, qui solitus est cogere, & à quo pote-rat compelli, censetur coacte soluisse; ita in hac subjecta materia, attenta qua-litatè, & moribus excommunicati, folius timor mali poterit excusare, ad tradi-ta per Pac. Jord. lucubr. tom. 3. lib. 14. tit. 12. num. 119.

Ter-

- <sup>12</sup> Tertiò notandum quod ad hoc , ut quis dicatur in excommunicatione insordescere , requiritur ad minus annus continuus , & completus qui incipit currere à die , quod quis fuit scienter , & nominatim excommunicatus . Et hinc infertur , quod qui obtinuit post sex menses absolutionem cum in reincidentia , & denuò stetit excommunicatus per alios sex menses , talis non dicitur insordescens ; quia tempora in hac materia non conjunguntur , & idem est de eo , qui intrà annum instetit pro absolutione , licet eam non obtinuerit , aut fecit diligentiam pro ea obtainenda , vel ob aliquod impedimentum comparere non potuit , nam ii non dicuntur contemnere , ut docet Caren. de Sanct. offic. part. 2. tit. 8. §. 1. & §. 2. Elapso autem anno continuo insordescientiae absque nulla instantia , seu impedimento , poterit , & debebit ordinarius , vel censuram aggravare , vel insordescensem citare .
- <sup>13</sup> Ad respondendum de fide , & ad se purgandum ab hæresi suspicione in termino ... alias termino elapo videndum se in censuris insordescensem declarari , & denuò se excommunicari Ec.
- <sup>14</sup> Si reus non compareat , iterum , ob contumaciam excommunicationis vinculo erit innodandus , quam si per alium annum animo subtineat pertinaci tunc consulta priùs Sacr. Congr. Inquisitionis de Urbe , erit contra eum , tanquam de hæresi suspectum , & Tribunal S. Officii subiectum procedendum , prout tradunt Antonell. de tempor. legal. lib. 2. cap. 39. num. 4. Pignatell. consult. 18. num. 16. tom. 7. Nam licet contra insordescensem per annum in censuris , possit procedi tanquam de hæresi suspectum , juxta dispositiōnem Concilii Trident. c. 3. sess. 25. nihi lominis , quando excommunicatio lata est ob aliam causam , quam hæresis , Tribunal Sancti Officii non agit , nisi post aliam notabilem contumaciam , de quo stylo testatur Caren. loco suprà citato §. 4. num. 18. Quæ contumacia ad hunc effectum puto , quod intercederet post lapsum biennii , etiamsi excommunicatus in hoc temporis intervallo obtinuissest absolutionem cum reincidentia : quia dubitanum est , quod non formidine censuræ , Monacelli Form. Pars III.
- sed penæ in sordescētū , dolo motus fuerit ad illam petendam , hic tamen pro publicando Interdicto , non exigitur lapsus anni .
- Quarò notandum , quod personæ loci interdicti , in hoc casu , dummodò non sint culpabiles , non sunt interdictæ & sic alibi poterunt interesse Divinis . Clericis autem , qui Interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrerunt , debet intimari personaliter . Etenim quamvis hoc interdictum feratur propter excessum nulla præcedente motione , tamen quandò interdicuntur singulares personæ , post publicationem , est illis intimandum , ut docet Syr. de censur. lib. 5. c. 11. n. 29. ubi quod si persona haberi non possit , tunc satis sit publicari in Ecclesia , vel ad fores propriæ Domus , si verò feratur in Civitatem , vel Universitatem , sufficiat publicatio in locis publicis consuetis , ut ipse ait n. 30. & eum sequitur Ricc. dec. 65. n. 3. & seqq. par. 1.
- Ultimò notandum , illum propriè dici recipere , & admittere , qui excommunicato , vel nominatim interdicto Sacramentum confert aut in loco sacro sepelit , aut dum celebrat , eum non excludit vel qui divina in loco interdicto celebrare facit , aut ex officio debet prohibere , & non prohibet , ut excommunicatus , vel interdictus non accedat ad Divina Bon. tom. 3. de interd. in partic. disp. 4. q. 2. pun. 6. n. 5. Nomine autem Divinorum , quæ prohibentur , intelliguntur omnia ea , quæ sunt in Ecclesia à Ministro Ecclesiastico , seu persona consecrata , vel deputata ad illud officium , & sic non solùm compræhenduntur functiones publicæ , & solemnies , idest Missa , Horæ Canonicae , Confecrationes , Processiones solemnes &c. sed etiam Sactamentalia , prout sunt omnes benedictiones , Nuptiarum , Templi , Vasorum Sacrorum , Candelarum , Palmarum &c. Sayr. de censur. lib. 5. c. 5. num. 4. Bonac. de interd. disp. 5. punt. 4. n. 1. 2. & 3. tom. 1.

De interdicto contento in cap. sanè 11. de offic. & pot. Jūd. deleg.

In hoc cap. inter cætera hæc habentur -- tuæ quæstiōni diximus respondendum  
P 3      quod

quod *Judex a nobis delegatus vices nostras gerit*, unde in causa illa, Superior est major illis, quorum causam suscepit terminandam, ideoque si persona, qua non sit de jurisdictione illius in causa, quem ei delegamus, rebellis, aut contumax fuerit, secundum qualitatem facti poterit, vel Interdicti, vel suspensionis sententia à Judge delegato compelli,

Quarè in casibus, in quibus à Concil. Trid. & Constitutionibus Apostolicis Regulares subduntur jurisdictioni Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, si fuerint contumaces, & poterit hic illos suspendere, vel eorum Ecclesias juxta facta qualitatem subjecere interdicto v.g. si renuerent accedere ad publicas processiones: tunc enim Decr. Interdicti poterit concipi.

### Decreti Interdicti localis specialis.

#### FORMULA IV.

**V**itis instantia Promotoris Fiscalis, & Editio indictionis processionis generalis pro causa, & bono publico in locis consuetis evulgata, & attenta contumacia PP. Ordin. N. Conventus N. hujus Civitatis, qui ad illam accedere, & interesse renuerunt, & qualitate facti, eorum Ecclesiam subicit. S. N. auctoritate nobis à Concil. Trid. delegata, subjecimus, & supponimus Ecclesiastico Interdicto, & subjectam, ac suppositam denunciamus, & publicè denunciari, & ad valvas d. Ecclesiæ Cedulones affigi volumus, & mandamus.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

### Denunciationis.

#### FORMULA V.

N. Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. N.

**A**uctoritate Nobis à Sac. Concil. Trid. delegata, denunciatur supposita Ecclesiastico interdicto Ecclesia N. PP. Ordin. N. ex eo quia vocati ad interessendum processioni generali à Nobis pro causa, & bono publico indicata, cum admiratione, & populi scandalo accedere renuerunt. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco  Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

## V E L

**C**ON autorità à Noi delegata dal Sagro Concil. di Trento, si denuncia sottoposta all'Ecclesiastico Interdetto la Chiesa N. de PP. dell'Ordine N. perché chiamati, & intimati ad intervenire alla processione generale in detta, e convocata da noi per causa, e beneficio publico, con ammirazione, e scandalo del popolo, hanno rifiutato d'intervenire &c.

N. Vescovo N.

Luogo  del Sigillo.

N. Attuario.

## S U M M A R I U M .

- 1 Datur formula inductionis Processionis.
- 2 Occasiones indicendi Processiones pro bono publico indicantur.
- 3 Traditur cautela monendi in Edicto Regularis, & exemptos, & n. 4.
- 5 Episcopus in casibus, in quibus punit Regularis, debet exprimere contra eosdem procedere jure delegato. Declaratur n. 6.
- 7 Referuntur casus, in quibus Episcopus, possit Ecclesiae Regularium interdicto subiectere, vel corundem personas censuris punire, & n. 8.9.10. & 11. & 23.
- 12 Interdictum locale Ecclesiae apponitur pro delicto personarum, sub quarum regimine existit.
- 13 Regularis moniti, se non accedant ad Processiones publicas, possunt ab Ordinario censuris puniri.
- 14 DD. Regularis defendantes eorum privilegia, non sunt attendendi.
- 15 Regularis publicè peccantes, gravius peccant, quam cæteri, & gravius

- puniri possunt.
- 16 Regularis ab Ordinario suspensi, vel interdicti, à quibus abstinere debent, ostenditur, & n. 17. & 18.
  - 19 Regularis sunt benemeriti de Ecclesia, & idè Ordinarii locorum, cum eis leniter in delictis occultis procedere debent.
  - 20 Regularis debent esse obsequiosi, & obedientes erga Episcopos.
  - 21 Episcopi dicuntur Sanctissimi, Christi Legati, Papæ fratres, & Columnæ Ecclesie.
  - 22 Cedulones Interdicti, affigi debent in forma originali, alias non obligarent ad servandum interdictum.

## AD NOTATIONES.

**E**T EDICTO INDICATIONIS. Edictum inductionis processionis generalis extraordinariae pro causa, & bono publico, debet ab Episcopo evulgari per aliquot dies ante, ad hoc ut, qui interesse debent, possint disponi, & preparari. Formula autem Edicti per modum exempli, poterit concipi modo sequenti.

## Edicti convocationis Processionis.

## F O R M U L A VI.

**C**UM Sanctissimus D.N. Papa N. ad opposendum se tanquam murum pro Domo Dei, immanti Turcarum Tyranno, ingenti apparatu Regnum N. „ invadere minanti, miserrimasque clades Reipublicæ Christianæ levissimo

P 4 „ bel-

„ bello paranti, Jubileum universale ad implorandam Divinam opem indexe  
 „ rit nobisque distretè præcipiendo injunxerit in hac nostra Civitate, & Diœ  
 „ cesi d. Jubilei promulgationem: Nos promptè, ut par est, obedire satagen  
 „ tes, illud publicare fecimus, & formam in litteris Apostolicis præscriptam  
 „ exequi, & adimpleri curavimus.

„ Ut autem Celestis thesauri fructum uberiori consequamur, & omnipotens  
 „ Dei auxilium efficacius imploreamus, & ad eum supplici, concordique voce  
 „ clamemus, ut obliviouscatur iniquitatum nostrorum, quibus iram ejus provoca  
 „ vimus, & catholicæ Religionis osium ferociam conterat potentia virtutis  
 „ suæ: Vigore præsentium pro hac causa publica, Processionem generalem pu  
 blicam indicimus.

„ Quarè in hac Civitate ab Ecclesia nostra Cathedrali ad Ecclesiam N. & ab  
 „ Ecclesia N. ad N. ad consequendam indulgentiam per nos designatas, die ....  
 „ de manè hora .... Nos cum Ven. fratr. Canonis, Capitulo, & universo Clero  
 „ & populo comitante processionaliter pro Deo favente, accedere statuimus:  
 „ idcirco inixè hortamur, & paterna charitate monemus omnes, & singulos  
 „ utriusque sexus Christi fideles ad interessendum, Clericis autem officia, aut  
 „ Beneficia obtinentibus, tam secularibus, quam Regularibus omnibus, &  
 „ aliis etiam exemptis, & in strictiori clausura non degentibus, necnon Confra  
 „ ternitatibus, accedere solitis, præcipimus, eosque vocamus, & monemus,  
 „ ut die, & hora, ut suprà præscripta omnino in dicta nostra Cathedrali conve  
 „ niant, & Processioni, ut moris est, interveniant, sub pena Interdicti Ec  
 „ clesiæ, aliisque censuris, & penas arbitrio: quod si ante statutum terminum  
 „ justi impedimenti excusatio dedulta non fuerit, absque alia monitione contra con  
 „ tumaces, & inobedientes non interessentes ad comminatas penas procedetur.  
 „ Volumus autem quod præsens indictionis Edictum vim habeat, & ardet, ac si  
 „ singulis suprà vocatis personaliter fuisset intimatum. Datum &c.

## N. Episcopus N.

Loco ☩ Sigilli.

N. Aquarius.

2 Aliæ præter expressam hic in formula, sunt occasiones, quæ respiciunt causam, & bonum publicum, v. gr. ad serenitatem, pluviam, pacem, & sanitatem petendam, pro electione Summi Pontificis, & aliæ hujusmodi, quibus Regulares, ac alii exempti vocati, intervenire tenentur, quarum memini to. 1. tit. 5. adnot. ad form. 7. n. 24. & seqq. & eas referunt quoque Barb. in sum. dec. Apost. verb. processio n. 23. Pac. Jord. clucubr. to. 2. lib. 7. tit. 14. n. 57. Card. de Luc. de jurisd. disc. 100. n. 9.

3 Verbo autem in Edicto minusculo car  
 atere notata ibi -- quod si ante statutum ter  
 minum &c. apponuntur pro cautela, & ad  
 excludendam, & evitandam necessitatem

citandi post factum contumaces ad dicendum causam quare, &c. prout faciendum esset pro validitate censurarum, quando ista clausula in edicto non apponetur, & hoc sit ad exemplum, ac etiam ut statim occurrit scandalo, quod per populum ex inobedientia, & non interveniente conceptum fuit: nam quemadmodum publica, & notoria est contumacia, ita etiam expedit, ut videatur statim publica punitio: quam cautelam docuit, & servandam esse monet in his terminis Card. de Luc. d. disc. 100. n. 21. de jurisd.

Addo ego, quod si Monasterium Regularium vel aliorum exemptorum habitatione, situm, seu sita esset extra Civitatem & fu-

& suburbia, intra tamen medium milliare: intimatio, seu indictione processionis, poterit fieri ad cautelam, specialis per schedulam, vel per affixionem copiae authenticæ editæ ad valvas eorum Ecclesiæ, nè unquam indictionis ignorantiam valeant allegare.

**6** *Audoritate nobis à Concilio Trident. delegata.* Hoc exprimitur in Decreto, & in Cedulone, ad removendum omne dubium validitatis censurarum latarum contrâ exemptos: cum enim Episcopus Regulares, & exemptos compellat ad interessendum processionibus publicis, tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, ut dicit Card. de Luc. in miscell. disc. 15. n. 3. hoc in sententia venit exprimendum, nè videatur ordinaria auctoritate procedere, & siue visitando Ecclesiæ exemptorum jure delegato Concilii in cap. 8. sess. 7. & cap. 9. sess. 24. tenetur declarare, id facere tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, prout pluries Sacr. Congr. Concilii declarasse testatur Fagnan. olim ejusdem Congreg. Secretarius in cap. quoniam num. 35. de offic. deleg. & in cap. nullus num. 32. de paroch. & recenter ita faciendum esse respondit in Miletæ. 17. Novembr. 1703. ad 3. ita videtur quod debeat facere fulminando censuras: quamquam hoc non sit de necessitate; si enim id non exprimeret, non exinde inferri posset ad nullitatem: quia talis expressio requiritur solum ad præservandum jus exemptorum, ut advertit Cardin. de Luc. d. disc. 100. num. 16.

Eodem jure delegato non tantum in exemplo editæ potest Episcopus subjecere Interdicto Ecclesiæ exemptorum, & Regularium; sed etiam in aliis casibus, v. g. si abusus, & irreverentias, moniti nolent, vel negligerent ab eorum Ecclesiæ removere; vigore Concil. Trid. in Decret. de obser. & evit. in celebr. missarum.

**8** Si interdictum in loco publicatum non observarent Sacr. Congregat. Concilii Indiarum 17. Decembr. 1650. lib. 19. decis. pag. 97.

Si accedente Episcopo ad eorum Ecclesiæ pro celebranda missa Pontificali, nolent eum obsequiis solitis juxta præscriptum Decretorum Sac. Cong. Rituum, &

Apostolicorum, recipere, servire, & juxta solitum de cera, & suppellectilibus prævidere, vel ei Baldachinum erigere: nam tunc ratione contemptus Dignitatis Episcopalis, ad propulsandam publicam injuriam, & per modum defensionis extrajudicialiter, potest illicè absque alia monitione Interdictum Ecclesiæ indicere, & denunciare Sacr. Congr. Concilii in Venetiana Interdicti 26. Januar. 1697. Decret. Sacr. Congr. Rit. tom. 2. tit. 13. annot. ad form. 4. post num. 34. Donat. prax. reg. regul. tom. 1. part. 2. tract. 13. de exempt. religios. 9. 74. n. 7.

Si Baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assentiam in Presbyterio in eorum Ecclesiæ darent, permitterent, & concederent personis sacerdotalibus quantumvis nobilibus, & Illustribus, ut disponunt Decreta generalia dict. Sacr. Congregat. Rituum, quæ à me data fuerunt part. 2. tit. 13. ad form. 1. Vel si ab Episcopo moniti, sepulturas sub Altaribus, & bardellis eorum Ecclesiæ constructas, nollent, aut different expurgare, & illas muro obstrui facere, & replere, Sacr. Congr. Episcop. apud Pignatell. consult. 32. num. 2. tom. 4. in nulla enim Ecclesia est tolerandum, quod in hujusmodi Altaribus celebretur, donec tumba terra repleatur, & ossibus amotis muro obstruatur, Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 40. n. 1. Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 9. cap. 1. num. 8. & 9. sed debent interdici, Samuel. de sepult. tract. 1. dis. 3. contr. 8. n. 3. 4. & 5.

Si haberent aliquam Parochiam unitam, & congruam sustentationem Curato assignare renuerent, Pirhing. in jus can. tom. 3. lib. 3. tit. 5. num. 44. ubi hæc habet -- Quod si Prælati monasteriorum, quibus Parochiae sunt unitæ, congruam portionem intrâ terminum ipsis ab Episcopo Diocesano præfixum, Vicariis perpetuis, qui ab ipsis præsentantur, assignare neglexerint, ea potestas ad Episcopum loci devolvitur, qui Prælatos, etiæ exemptos per censuras Ecclesiasticas ad id compellat. juxta disposita in clem. 1. de jur. patr. ibique gloss. sicuti enim pro delicto Reatoris Civitatis, aut alterius Communis, locus interdici potest, ut dictum fuit

suit supra in præcedenti formula : ita poterit pro delicto Prælati interdici Ecclesia Regularium.

**12. Et supponimus Ecclesiastico Interdictio.**

Quamquam in casu in formula figurato, personæ delinquentes possent censura suspensionis à divinis, vel interdicti personalis ab Episcopo puniri : adhuc magis propria, & conveniens delicto videtur Interdicti localis Ecclesiæ censura : tum quia fit magis nota, & exemplaris in populo : tum quia non afficit non culpabiles, & innocentes, Bonaccin. de interd. in particular. disp. 4. quæst. 1. punc. 1. justequæ ac validè apponitur propter crimen personarum, sub quarum regimine ipsa Ecclesiæ existit, ex traditis à Sayr. de censur. lib. 5. cap. 11. num. 8. & 9. Cardin. de Luc. de jurisdic. disc. 29. num. 8. & dict. disc. 100. nu. 18. ubi in individuo de Interdicto apposito, Ecclesiæ, ob non interventum quorundam exemptorum ad publicam processionem.

**13. Quod autem Regulares, & alii exempli renuentes accedere ad publicas processiones, possint ab Episcopo censuris compelli, & puniri, hodie planum est : cum enim subjiciantur hac in re suæ jurisdictiōni absque poenae determinatione, valer illos coercere poena canonica sibi bene visa, ut individualiter communiter tradunt, Ricc. in prax. ver. for. Eccles. par. 2. resolut. 210. num. 1. limitat. 2. & collect. 4050. Leo thes. for. Eccles. part. 1. cap. 8. numer. 18. & part. 4. cap. 2. num. 143. Pac. Jord. elucubr. tom. 2. lib. 7. tit. 14. num. 59. Ventrigl. in prax. part. 1. annotat. 48. §. unic. num. 106. Pignatell. consult. 46. à num. 11. ad 23. tom. 3. ubi Decreta Sac. Congr. refert Gallemart. collect. in Conc. Trident. sess. 25. 6. 15. remiss. vers. nota ex Farinaceto, Card. de Luc. miscell. disc. 15. num. 8. ubi quod iste punctus post emanatam constitutionem Gregor. XI. Inscrutabilis, non meatur amplius discursum, Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 10. cap. 1. nu. 10. & ingenuè fatetur Passerin. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. art. 10. insp. 10. numer. 768. his verbis -- sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, & puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi. Et si v. gr. dum sess.**

25. c. 13. datur Episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas eos compellendi per censuras : cuius doctrina notanda est.

Neque vis ulla facienda videtur in autoritatibus contrariis, quæ possunt allegari DD. Regularium : quia cum defendant causam propriam non sunt in hac subiecta materia testes idonei, nec audiendi, Cardin. de Luc. miscell. disc. 16. n. 12. & de jurisdic. disc. 31. n. 8. & disc. 29. n. 7. Ventrigl. in prax. par. 1. adnot. 48. n. 134. Pignatell. consult. 21. num. 6. tom. 2. & etiam qui eorum rationes post Concil. Trid. & Bullam Greg. XV. penitus nullæ sunt, & validissimis prosternuntur fundamentis à DD. suprà allegatis.

Debent autem reminisci Regulares, quod si ipsi peccant cæteris paribus, gravius peccant, quam sæculares in eodem genere peccati : idque tripliciter : primò si peccant contra votum, ut furando, vel fornicando : secundò, si ex contemptu : tertiò si palam peccant ( prout hic ) propter scandalum D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 10. ideoque gravius puniendi sunt quam Clerici Sæculares, ut bene adverbit Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 7. de heret. num. 142.

Secundò, quod si fuerint ab Ordinario in casibus, in quibus ei subjiciuntur simpliciter suspensi, vel interdicti ; non solum à divinis ; sed etiam voce activa, & passiva privati censentur, dicit Ricc. in prax. ver. for. Eccles. tom. 4. resolut. 43. n. 9. & 13. si vero sint ab ordine tantum suspensi eligi non poterunt, sed eligere non impediuntur, Ricc. ibid. n. 11. si autem voce activa, & passiva privati sint, intelligitur de omni capitulari voce, in dandis votis, vel recipiendis pro qualibet re proposita in Capitulo, ut respondit Sac. Congreg. Conc. 6. Julij 1581.

Reminisci quoque debent Ordinarii quod Regulares omnes, sunt de Ecclesia benemeriti, & Episcoporum coadiutores in procuranda salute subditorum : ideoque, si proprii Instituti observantes sint, debent protegi, soveri, & summa charitate, & benignitate tractati : si autem per semitas justitiae non ambulant, antequam censuris puniantur in casibus.

sibus permisiss. & delicta non sint publica, vel cum contemptu, aut præsumptuosa, levioribus pœnis corrigenda erunt: nam ut dicit glos. m.c. nisi cum pridem de renunc.

*Qui nimis emungit, solet extorquere cruentum.*

*Et violenta facit correctio deteriorem.*

*Sed moderata satis correctio gignit amorem.*

At è converso Regulares erga Episcopos debent esse obsequiosi, & obedientes, non solum quia jus reverentiale eis per exemptionem non fuit ablatum, ut dicunt Card. de Luc. de regul. disc. 1. n. 21. & dis. 64. n. 15. Passer. de stat. hom. 10. 3. qu. 189. art. 10. insp. 10. n. 798. & declaravit Sacr. Cong. Episc. in Forolivien. 6. Martii 1692. sed etiam quia in pluribus eiusdem sunt subjecti, ut vidimus suprà, & in 10. 1. tit. 6. adnot. ad form. 20. a num. 9. ad 28. & demum quia Episcopi dicuntur Sanctissimi, Christi Legati existunt, Spirituales sunt Patres, Papæ fratres, & Columnæ Ecclesiae, ut habetur in Clem. 1. §. nec super de pœn.

*Et ad valvas d. Ecclesiae Cedulones affigi.* Cedulones Interdicti, qui affiguntur ad valvas Ecclesiae interdictæ, debent esse in forma originali, nempe cum subscriptione Judicis interdicentis, Notarii Accuarii, & appositione sigilli Curiæ: non autem in forma simplicis denunciationis, per copiam, aut schedulam privatam, qua notificetur, quod Ecclesia sit ab Ordinario supposita Interdicto: quia talis scriptura informis, non obligaret ad servandum Interdictum, ad tradita per Card. de Luc. in miscell. disc. 22. n. 5. & 6. ideoque nuncius in relatione affisionis referre debet, se

ad valvas Ecclesiae interdictæ Cedulones originales Interdicti affixisse, & affixos reliquise, prout habuit in mandatis: ad quod Cancellerius Curiæ, ne in suo officio errare dicatur, advertere debet.

Addo quod posset Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, Abbates, & alios usum Pontificalium habentes, ac Prælatos, & Superiores Regulares, & exemptos, censura Interdicti ab ingressu Ecclesiae, vel suspensionis ab exercitio Pontificalium punire, & coercere, si Ecclesiasticam Suppellectilem, seu paramenta Sacra pro usu aliarum Ecclesiarum, quam suarum benedicerent: cum hoc eis expresse vetitum sit à Decretis generalibus Sacr. Cong. Rit. 18. emanatis 27. Septemb. 1659. & 20. Julii 1660. quo ad hoc confirmatis, & approbatis ab Alexandro VII. quæ dedi p. 2. tit. 13. ad form. 4. n. 34. in quibus datur Ordinariis facultas inobedientes, & transgresores per censuras compellendi.

*De Interdicto contento in cap. quamquam de cens. in 6.*

Civitas, Castrum, vel locus, cuius Collegium, aut Universitas exigit, seu extorquet, aut solvere compellit per se, vel per alium suo, vel alio nomine pedagia, vel guidagia, aut alias exactiones ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, exceptis rebus, quas causa negociationis deferunt: Ecclesiastico Interdicto ipso facto subjiciuntur, ut ex hoc textu colligitur. Quare Diœcensi, quibus constat aliquam Universitatem hanc censuram incurrisse; illam publicare debent, ut ibi glos. moner: hocque facere poterunt formula sequenti.

### Decreti Interdicti generalis localis.

#### F O R M U L A VII.

**A**ttentis comparitionibus Syndici Monasterii Monialium N. nec non Procuratoris Hospitalis infirmorum N. & visitis juribus exhibitis, ex quibus constat, N. exactorem pedagorum nomine Universitatis N. plures pedagium pro rebus ad d. Monasterium, & Hospitalis expectantibus scienter extorquisse, & monitus ad restituendum, indebet exactum restituere recusavit: monitisque Officia-

Officialibus, & Consulibus; imò & ipsa Universitate, ad dicendum causam quare non deberet declarari supposita Ecclesiastico interdicto ob dictam indebitam exactiōem nomine suo factam, & nihil in termino assignato, quod relevet deducto, eandem Universitatem Ecclesiastico Interdicto, in quod incidit, subjectam esse declaramus, & denunciamus, donec exactum plenariè restituat, & publicè volumus, denunciari.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

Denunciationis.

F O R M U L A VIII.

**A**uctoritate ordinaria denunciarur, & declaratur supposita Ecclesiastico Interdicto locali generali Civitas (sive Universitas Castrorum) N. ex eo, quia contrà Canonicas sanctiones, ejus Exactores pedagia, aliasque exactiones ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, jure Divino, humanoque exemptis, scienter exigere voluerunt, & de facto exigenterunt, & Interdicto subjecta erit, donec indebitas exactiones nomine suo factas integrè restituat. Dat.

N. Episcopus N.

Loco  Sigilli,

N. Actuarius.

V E L

**C**on autorità ordinaria si denuncia, & dichiara sottoposta all' Ecclesiastico Interdetto locale generale la Città (ò Terra) N. perchè contro la disposizione de Sacri Canoni, li di lei Esattori, e Gabellieri hanno esatta la gabella... dalle Chiese, ed altre persone Ecclesiastiche, le quali per legge Divina & humana, sono esenti da tali pesi, e gravami, e starà sottoposta à tale Interdetto, fin tanto, che saranno intieramente restituite le somme da quelli à suo nome esatte. Dat.

S U M M A R I U M .

- 1 Exigentes pedagia à personis Ecclesiasticis, si sint personae singulares, excommunicationem, si verò universitas Interdictum eo ipso incurvunt, & quid sit pedagium ostenditur n. 2.
- 3 Amplia in Prælatis, qui si à Clericis exigant, easdem penas incurvunt.
- 4 Exigentes à Clericis sponte solventibus, non excusantur à restituzione.

5 Exigentes ab Ecclesiis, vel Clericis pro oneribus infixis bonis ab eis possessis, vel datis cum conditione solvendi onera, vel fraudolenter donatis, an, & quando incurvant, afferatur declaratio S. Congr.

6 Represalias relaxantes contra bona Ecclesiasticorum, subjacent Interdicto generali personali, si sint Universitates, si verò singulares personæ fuerint, sententiam excommunicationis incurvunt.

Exi-

- 7 Exigentes juramenta illicita , quibus pœnis subjaceant , enarratur ex Bul. la Greg. XIII.
- 8 Capientes , percutientes , detinentes , vel bannientes proprium Episcopum excommunicationem Papæ reservatam incurruunt , & locus eo ipso sub jacet Interdictio .
- Interdicta non sum denuncianda , nisi præmissa monitione ibid.
- 7 Interdictum locale , licet ipso jure incurruunt , nemo tamen illud servare tenetur , antequam promulgetur .
- 10 Fallit in Ecclesia , quando jam à canone , vel Constitutione interdicta est .

## ADNOTATIONES.

**P E D A G I U M.** Exigentes à personis Ecclesiasticis pedagia , & guidagia , censuras ipso facto incurruunt , ut habetur in citato c. quamquam de cens. in 6. ibi nec universitas , nec aliqua etiam singularis persona cuiuscunque sit dignitatis , conditio nis , aut status , à præfatis Ecclesiis , aut personis pro personis ipsis , aut rebus prædictis , talia exigat , vel extorqueat , per se , vel per alium suo nomine , vel etiam alieno , aut eas ad hujusmodi persolvenda compellat . Qui vero contrifecerit , si personæ fuerint singulares , excommunicationis : si autem Collegium , vel universitas Civitatis , Castrorum , seu loci alterius cuiuscunque , ipsa Civitas , Castrum , vel locus , interdicti sententias ipso facto incurruunt .

2 Hoc nomen pedagium , hic sumitur non solum strictè pro pedagio solvendo à transeuntibus in loco destinato , sed etiam pro vestigali , quod Principi , seu Universitati solvit pro rebus , & merci bus , quæ vel invehuntur , vel evehuntur , & pro alia quacunque indebita exactio ne , quæ si auctoritate laicali , ut notant glos. in d. c. quamquam Barb. num 3. Passer. num. 3. 4. & 7. Cherubin. in summ. bullar. ad const. 10. Paul. 3. schol. 1. imò non solum Universitates , & personæ scatulare cujuscunque dignitatis , & status existant prohibentur hujusmodi exactio nes à Clericis extorquere : sed etiam Prelati Ecclesiastici , qui si per se ipsos , vel

per alios talia pedagia exigerent , in eas dem pœnas inciderent , ut notat Passer. ibid. n. 6.

Scienter extorquisse . Quid si non extor querent , sed ab Ecclesiasticis sponte sol ventibus recipent ; an inquam prædi cts afficerent pœnis ? Et videtur dicendum , quod non excusarentur à restitutione : quia Ecclesiastici eorum exemptioni renunciare non possunt , ut jam ostendi tom. 2. tit. 15. ad form. 4. num. 13. & docet del Bene de immun. Eccles. tom. 1. cap. 5. dub. 18. sect. 1. numer. 15. hoc tamen casu exigentes non denunciandi , sed facta restituzione absolvendi essent .

Quid si exigerent ab Ecclesiis , & Clericis pro oneribus infixis bonis ab eis pos sessis , & cum conditione solvendi one ra , aut fraudolenter donatis ? & responderi potest ut in sequenti Decreto S. Congr. Immunit.

Vercellen. Clerus supplicat declarari infra scripta dubia .

Primò . An exigentes Collectas pro bonis donatis Ecclesiis , quando donationes sunt cum fraude , incident in excommuni cationem .

Secundò . An exigentes pro bonis donatis Ecclesiis cum conditione solvendi one ra , & tributa etiam imponenda , incident in excommunicationem .

Tertiò . An si Cives communi consensu , generali , vel speciali hypoteca , obligent eorum Prædia pro Collectis in futurum imponendis , ut ad quoscunque transeant cum d. onere , ac proprieate Ecclesia acqui rens subjaceat , an dicantur facere contra libertatem , & Immunitatem Ecclesiasti cam .

Quartò . An si supradictæ Collectæ non solvuntur à Clericis , possit à Judice laico contra eadem bona fieri executio .

Die 15. Novembr. 1659. Sacr. Congr. Respondit .

Ad primum non incurrere facta prius per Episcopum declaratione super fraude donationum .

Ad secundum major pars inclinavit non incurrere , quando sub conditione fuerint bona donata Ecclesiæ .

Ad tertium respondit ut ad proximum .

Ad

*Ad quartum per Judicem laicum non posse fieri executionem, sed spectare ad Judicem Ecclesiasticum lib. 3. Dec. Paulucci fol. 238.*

6 Quid si Universitas collectas, & pedagia à personis Ecclesiasticis non exigeret, sed contra eas, vel ipsorum bona represalias concederet, & relaxari, an posset Ordinarius pena Interdicti localis, exemptionem, & libertatem Clericorum tueri, & defendere: & respondeatur quod sic: nam quando Universitates hoc facere attentant, nisi infra mensem à die concessionis, vel extensionis represalias, illam non revocant; ipso jure subjacent Interdicto generali personali lato in Constitut. Concilii generalis Lugdunen. relata in c. unico de injur. in 6. ubi gloss. & Barb. n. 4. Sayr. de cens. lib. 5. c. 12. n. 12. quod pariter denunciandum esset, si facta monitione, represalias removere contemneret, si vero personae singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrerent d. c. unico de injur. in 6.

7 Quid si Universitas, vel Collegium extorqueret ab Ecclesiasticis juramenta illicita, damnoña, vel contraria libertati Ecclesiasticae; an Interdicto sit competenda, & respondeatur quod sic juxta præscriptum Constit. Gregor. XIII. quæ incipit: *Inter Apostolicas impressæ in Bul. tom. 2. pag. 480. in ordine la 93. in qua §. 3. sic disponitur -- Ac etiam præcipimus, ac interdicimus Prælatis, Canonicis, & aliis supradictis, necnon Ecclesiastarum Capitalis, & Monasteriorum, ceterisque Conventibus, Civitatum quoque Castrorum, & Terrarum Communitatibus, & personis quacunque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impossibilia, damnoña, vel libertati Ecclesiasticae, aut Decretis Concilii Tridentini obviantur, sive ante, sive post Electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissions, aut alios actus, ubicunque, ac quocunque tempore, etiam prætextu cuiusvis consuetudinis quantocunque tempore observatae, quæ potius corruptela est censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere, vel exigere, nevè super præstitis, redditis, vel exactis hue usque quemquam, in iudicio, vel extra inquietare audenter, quoquo-*

modo vel turbare. Illos enim qui jura menta illicita, impossibilia, damnoña, vel Ecclesiasticae libertati, aut Decretis diff. Concilii obviantia, exigere contendent, Episcopos videlicet, & alios quoescunque Pontificali dignitate præditos suspendimus à divinis, Capitula vero, & Conventus, eorumque Ecclesiæ, & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulare personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta, & alia obrinenda eo ipso, nobisque, & Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, & interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservamus.

Quod si suadente diabolo in hoc sacrilegii genus aliqua Civitas prorumperet, ut proprium Episcopum injur os caperet, percuteret, detineret, vel banniret, aut hæc fieri mandaret, aut ab aliis facta rata haberet, vel consilium, aut favorem facientibus præstaret: an Interdictum aliquod incurreret, & respondeatur affirmativè secuto effectu, ut habetur in Clem. 1. de pen. & non solum locus, in quo Episcopus detinetur ipso jure subjacet interdicto; sed culpabiles excommunicationem Papæ reservatam incident, Bonaccin. tom. 3. de interd. in particular. disp. 4. quæst. 3. punct. 4. num. 1. & 10. Hoc autem Interdictum, quod quod non culpabiles locale est, ut ait glo. in d. Clem. per speciem defensionis erit statim denunciandum: alia vero interdicta, de quibus supra mentio facta fuit denuncianda, & publicanda non sunt, nisi præmissa monitione, ad dicendum causam quare ob illicitam, & indebitam exactiō ab Ecclesiasticis personis factam ob represalias concessas, ob illicitum juramentum exactum, quis non debeat incursum declarari: quomodo autem Universitas citanda, & monenda sit, in sequenti formula dicam.

Et publicè volumus denunciari. Licet etiam hoc interdictum, & alia, de quibus supra, ipso jure, & ipso facto incurvantur, nemo tamen illa servare obligatur antequam locus denuncietur, & promulgetur interdictus: quidquid sit de Ecclesia,

10 sìa , quæ sufficierent censetur denunciata , si in Canone , vel Constitutione dicatur -- singulæ Ecclesiæ talis loci ipso facto sint interdictæ , ut notant Sayr. de censur. lib. 5. c. 12. n. 23. 24. Bonacc. tom. 3. de interd. in particul. disp. 4. qu. 3. punct. 2. n. 8. Barbos. in d. c. quamquam n. 8. de cens. in 6.

*De Interdicto contento in Bulla Pii V. 104.  
Bullar. tom. 2. pag. 310.*

Hæc Constitutio confirmat , ampliat , & declarat Concil. Trident. in cap. 14. sess. 24. de reform. prohibet , nè in Beneficiorum , Canoniciatum , & Præbendarum Cathedralium , & Collegiarum collatione , provisione , electione , nominatione , aut præsentatione , vel admissione in possessionem , fiant pactiones , petitio-nes , compensations , solutiones , deduc-tiones fructuum , seu distributionum , aut promissiones illicitæ , & quæ sordidæ avaritiae suspicionem habent , vel quæ in u-sum , & utilitatem conferentis , præsentantis , vel admittentis cederent , aut in-ter Capitulares , & personas Ecclesiæ di-vidi deberent ; sive ex privilegio , sive ex statuto etiam Apostolica auctoritate con-firmato ( quod revocat , & annullat ) sive ex consuetudine longissimo tempore ob-servata exigentur , hæcque prohibet se-quentibus formalibus verbis .

*Præcipimus igitur , & interdicimus om-nibus Episcopis , Capitulis , & Collegiis , & personis , ad quos id pertinet , ne post hæc fructus , aut distributiones hujusmodi , nec pro rorsus ullam eorum partem retineant , nevè*

*iporum cessionem , vel renunciationem , aut dulciaria , vel alia quomodo cumque petant , vel exigant , aut quemquam , sive Ordina-ria , sive Apostolica auctoritate provisum , ad præstandum hujusmodi juramentum in-ducant , aut illi , prædicta non facienti , pos-sessionem impedian , vel remoren-ter . Quicunque contra fecerint , si Ecclesiæ Ante-clites , tamdiu à Pontificalis officii exercitio sint suspenſi , donec satisfactione prævia , illis per Sedem Apostolicam , suspensiō rela-xetur . Capitula verò , & Collegia quæcum-que Ecclesiastico subjaceant interdicto , ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurvant , à qua nisi in mortis articulo constituti , ab alio , quām à Roman. Pontif. absolutionis beneficium nequeant ob-tinere . Decernentes hujusmodi prædicta ju-ramenta non tenere , nec quemquam illis obligari , quin immò jurantes in hujusmodi censuram incidere , necnon irritum , & in-a-ne quicquid seus , &c.*

Quarè tam Ordinarii , quām Visitato-res , si inveniant hanc Constitutionem in aliqua Collegiali Ecclesia non servari , prout non observari tempore suo conque-rebatur Ricc. in prax. part. I. resol. 231. num. 2. poterunt , & debebunt , tum ex officio , tum ad partis instantiam ad de-nunciationem interdicti procedere , qua-tenuis contra venientes promptè recepta , a ut retenta non restituant , & pro absolu-tione à censuris incursis non recurrent : & si v. g. ob solutionem , aut promissionem solvendi , aut relaxandi non factam à pro-viso , possessio retardetur , modo sequen-ti providendum erit .

### Decreti Interdicti .

#### F O R M U L A IX.

**A**ttenta comparitione coram Nobis facta pro parte N. à Sede Apostolica pro-visi de Canonicatu in Cathedrali Ecclesia N. prout patet ex literis Aposto-licis exhibitis , reclamantis sibi possessionem retardari d. Canonicatus à Capitu-lo , & Canonicis , ex quo nolit promissionem , partem fructuum relaxandi ( aut aliam solutionem ) facere : visa monitione contrà Capitulum exequita , ad di-cendum causam quare , non debeat incursum declarari in censuram interdi-cti contentam in Constitut. 104. Pii V. & nihil relevans deducit , præfatum Ca-pitulum ob dictam illicitam solutionis petitionem , & possessionis Canonicatus retar-datio-

dationem, in interdictum, in citata Bulla contentum incidisse declaramus, & Ecclesiastico interdicto subjectum denunciamus, & publicè denunciari volumus, & mandamus.

## N. Vic. Gen. N.

N. Actuarius.

## Denunciationis.

## F O R M U L A X.

**A**uctoritate ordinaria denunciatur subiectum, & suppositum Ecclesiastico interdicto Capitulum Cathedralis (sive Collegiatæ) N. ex eo quia contra prohibitionem Decreti Sac. Concilii Trident. cap. 14. sess. 24. & Bullæ Pii V. prætextu illicitæ præmissionis (seu solutionis) per N. provisum à Sede Apostolica non factæ, possessionem Canonicatus obtenti, tradere tenuit, & remoratur. Datum, &c.

## N. Vic. Gen. N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

## S U M M A R I U M .

- 1 Episcopus ex officio procedit contra transgressores Bullæ Pii V. 104.
- 2 Possessio Canonicatus debet capi capitulariter.
- 3 Effectus attenditur, non modus.
- 4 Datur formula Citationis exequenda contra Capitulum, vel universitatem, & n. 5.
- 5 Citatio facienda contra populum, qui certum non habet locum, ubi congregari soleat, fit per affixionem ad valvas Ecclesiæ, in qua solet convenire.
- 7 Requisitio pro convocando Capitulo, seu Concilio Universitatis, quomodo sit facienda ostenditur.
- 8 Verba in materia pœnali, intelligenda sunt cum effectu.
- 9 Consuetudo, seu statutum, qua, seu quo cavitur, quod provis de Beneficio, vel Canonicatu, aliquid solvant proprio usu, aut Ecclesiæ fabrica, vel suppellebilibus Sacrifice te-
- net, & servanda sunt, & n. 10. 11.
- 12 Non valet Consuetudo, ut noviter recepti, solvant prandium.
- 13 Valida sunt statuta, quibus disponitur ut noviter recepti non participant, nisi per aliquod temporis spatium gratis inferviant.
- 14 Pro receptione, & admissione ad Religionem, nihil recipi debet.
- 15 Expensæ, quæ fuit tempore professoris, debent taxari ab Episcopo.
- 16 Dos pro receptione Monialium licet solvitur.
- 17 In Religione Virorum, an pro receptione, & admissione, aliquid licet recipi possit, ostenditur, & n. 18. 19. & 20. Canones, qui simoniam vetant, per non usum abrogari non possunt dictum. 20.
- 21 Capitulum non potest excommunicari, sed debet interdici. Contraveniens Bullæ Pii V. la 104. interdictum incurrit ibi.
- 22 Episcopus dict. Bullæ transgressor, & Pon-

Pontificalibus est ipso jure suspensus, potest tamen missam privatam celebrare.

23 Si autem esset ab ingressu Ecclesiae, interdictus, in Ecclesia nullum actum ordinis potest exercere.

24 Episcopus suspensus, si populum solemniter benediceret, fieret irregularis.

## ADNOTATIONES.

**A**TENTAT COMPARITIONE. Hoc dicitur in formula ad exprimendum calum minus dubitabilem: ceterum non solum ad partis instantiam, sed ex officio Ordinarius, tam in Visitatione, quam extra, actiones prohibitas in Bulla, negant curare, & providere debet, & contravenientes admonere, & si statuta, aut Consuetudinem contrariam abolere detestent, in censuras incursum denunciare.

**A Capitulo, & Canonicis.** Impedimentum retardans possessionem factō Capituli, & Canonicorum, diceretur probatum, quoties Canonicī moniti, nolent, aut refugent actū possessionis capiēdē, interesse: nam cum de necessitate possesso Canonicatus sit capienda Capitulariter, etiamsi in literis adīt claulura, ut provisus possit propria auctoritate capere possessionem (quae solum operatur, ut possit illam capere absque ministerio Judicis, non autem excludit consensum Capituli) ex traditis à Paris de resignat. benef. lib. 6. quæst. 5. num. 32. Card. de Luc. de benef. in summ. num. 274. ex eorum absenta data opera causata, resultat idem effectus, ac si factō violento possessioni resisterent, qui effectus ad incurram censuram attenditur, & non modus, Bar-

3 bos. axiom. 80. num. 5. Donat. prax. rer. regular. tom. 2. par. 1. tract. 1. q. 26. num. 6.

**Visa monitione contra Capitulum exequata.** Monitio, seu citatio exequenda ante denunciationem Interdicti contra Capitulum, poterit sic concipi -- Citetur, & moneatur Capitulum Cathedralis N. ad comparendum per suum legitimū Procuratorem prima die juridica, ad dicendum causam quare non debeat declarari, ipsum incurrisse, & subjectum esse, & existere in-

Monacel. Formul. Pars III.

terdictio Ecclesiastico commindato, & contenito in Bulla Pii V. quæ incipit. Durum nimis: ob illicitam petitionem relaxationis fructuum (seu solutionis talis summe) factam N. proviso Apostolico, & retardationem possessionis Canoniticus per cum obtenti, contra prohibitionem expressam dicti. Constitutionis, alias videndum die immediate sequenti, se interdictum denunciari, Cedulones relaxari, & publicè affigi, eo amplius non monito &c.

Hæc citatio, seu monitio, exequi debet sicut Canonici sunt capitulariter congregati, & ad hunc effectum Ordinarius mandabit ei, qui habet jus convocandi Capitulum, ut ipsum convocet, qui si noluerit illud congregare habebitur pro citato per affixionem citationis in loco ubi Capitulum solet congregari: vel si dum Canonici sunt congregati, claudatur porta Nunicio, ut ingredi nequeat, citatio affigi poterit in valvis ejusdem loci: vel poterit Capitulum citari in persona Syndici, vel Economi, vel procuratoris, ut docet glossa communiter recepta in cap. si capitulo veritatem de concess. præb. in 6. Ricc. collect. 3040. Rot. coram Cavaler. decis. 310. n. 2. Pac. Jord. elucubr. tom. 3. lib. 14. tit. 1. nu. 90. & 91. Sabell. in summ. div. tract. §. Cittatio num. 27. ubi alios cumulat. Et hæc praxis servanda quoque erit, quoties citanda sit Universitas, sive aliud Collegium, Pignat. cons. 17. num. 2. & 3. tom. 7. Zual. ad Stat. Favent. tom. 1. lib. 3. rubr. 1. num. 23. & 24. Adden. ad Greg. decis. ult. lit. B. si vero citandus esset populus, qui non habet certum locum ubi congregari solet, sufficiens erit citatio per proclama, aut per affixionem ad valvas Ecclesiæ, in qua populus solet convenire ad audiendam missam, Rot. coram Cavaler. dec. 408. num. 1.

Requisitio autem facienda pro convolutione Capituli, seu Concilii Universitatis ei, qui habet jus convocandi, si erit concipienda -- Citatur, & requiritur N. ad congregandum, & congregari faciendum pro die . . . . Capitulum Cathedralis, ut moris est in loco solito (sive Concilium Universitatis) in quo citari possit iudicium pro justitia administranda, alias habebitur pro citato per affixionem in loco,

Q

seu

seu valvis loci Capituli / seu Concilii istante, &c.

**3** Ob di<sup>g</sup>am illicitam solutionis petitionem, & possessionis Canonicatus retardationem. Licet in Bulla ista duæ actiones scilicet petere, & exigere, disjunctivè ponantur ibi – dulcioria, vel alia quomodocunque petant, vel exigant: adhuc cessione, solutione, vel traditione non secuta, videatur, quod Capitulum hanc censuram non incurrat, etiamsi petierit: quia verba in materia pœnali intelligenda sunt cum effectu, ut hanc Bullam ponderando, tenet Bonacc. de simon. disp. i. q. 7. §. 3. n. 3. & in terminis censurarum, Sperell. decisi. 20. n. 15. & 16. & Simoniae conventionalis, Donat. prax. rer. regul. tom. 2. trad. 1. q. 26. per tot. Corrad. prax. disp. lib. 5. c. 9. n. 6. Paris. de confid. q. 1. n. 142.

**9** Non autem omnis petitio, & solutio, quæ fit à Capitulis, & provisio est illicita: quoniam plures sunt casus, in quibus dispositio hujus Bullæ non intrat: non enim compræhendit Consuetudines, & statuta, quibus disponitur, quod ab obtinentibus Beneficia, & Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis solvatur, & exigatur aliquid, quod non in ipsorum exigentium utilitatem, nec pro ingressu, & admissione accipiatur, sed in aliquos pios usus convertatur: hoc etenim nullam avaritiæ, seu Simoniae suspicionem habet, sed potius laudabile est, ut tradunt Paris. de confid. quæst. 38. n. 28. Monet. de distrib. part. 2. quæst. 18. n. 54. & 55. Ricc. in prax. par. 1. resol. 499. n. 6. Bonaccin. de simon. disput. 1. quæst. 7. §. 3. num. 5. Barb. supr. Concil. d. cap. 14. sess. 24. num. 6. & de Canonic. cap. 15. num. 29. Card. de Luc. de Canonic. disc. 10. nu. 10. & disc. 29. n. 7.

**10** Et hinc est, quod valet statutum, sive Constitutio facta per Capitulum auctoritate Episcopi, quod provis de Canonicatis, Beneficiis, vel Præbendis in Cathedrali, solvant certam quantitatem que integrè cedat pro fabrica Ecclesiæ, nihil tamen detur Notariis, Campanariis, & aliis Ministeriis, & officialibus. Leo thes. for. Eccles. part. 3. cap. 1. num. 4. Ricc. in prax. dcl. resol. 199. num. 8. ver. pro cuius. Gallemart. collect. in Coacil. Trid. d. c. 14.

sess. 24. num. 2. ver. valet Constitutio. Barbol. loco cit. num. 11.

Item valet Statutum, sive Consuetudo, quod noviter receptus, solvat tot pro Planetis, & aliis supellestilibus sacris Sacristiæ, Graff. dec. aur. par. 1. lib. 2. c. 96. num. 49. Tondut. quæst. benef. tom. 1. cap. 47. n. 5. 6. & 7. quia hoc dicitur factum in favorem cultus Divini, Pignatell. consul. 158. n. 10. & 11. tom. 1. Et hanc consuetudinem tolerandam esse censuit Sac. Cong. Episc. Regul. in Ecclesia Matrice receptitia Terræ Padulæ Caputaque. Diœcesis die 27. Martii 1692. referente clar. mem. Card. meo Petruccio.

Non tamen tenet, neque servanda est consuetudo, qua introductum sit, quod Canonici, sive alii Presbyteri de Ecclesia, prandium habere debeant, ut monet Graff. dict. cap. 96. dict. num. 49. his verbis --- Verum circa consuetudinem introducam à Clericis inter se ipsos, hæc constituenda est conclusio. Non valet consuetudo, qua Clerici aliquid à Clericis exigunt, spectans ad repletionem ventris, vel propriam utilitatem, de simon. cap. sicut. Hinc inquit text. in cap. Jacobus eod. tit. quod prætextu Consuetudinis non potest exigi prandium à Canonicis de novo recepto: verum bene recipi posset consuetudo, ut peteretur planeta, vel Casula, vel aliquid spectans ad Divinum cultum, vel fabricam Ecclesiæ. Et ideo Sac. Cong. Episc. in d. Caputaque; in responsione ad tertium dubium, talem consuetudinem abolendam esse respondit.

Item licita, & valida sunt statuta Ecclesiistarum Cathedralium, Collegiatarum & Receptitiarum, quæ mandant, & disponunt; quod noviter recepti, provisi, & aggremitati, antequam de Massa communis participent, per aliquod temporis spatiū gratis Ecclesiæ inservire debeant, vel quod fructus primi anni, sint hereditis Canonicis defunctorum; quia hujusmodi statuta, nec sub Decreto Concilii nec sub Bulla Pii V. compræhenduntur, Garz. de benef. par. 11. cap. 5. num. 138. Barbol. d. canon. cap. 23. num. 7. & supra Concil. d. c. 14. num. 4. Gallemart. eod. loco n. 4. Pignatell. consul. 30. n. 10. to. 3. & pluries declaravit S. Cong. Conc. ut testantur Garc. & Pignatell. & recenter in Andrien. 5. Mali

Maii 1696. Et 20. Decembris. Et 8. Augusti  
1699.

- <sup>14</sup> An autem, quæ hic dicuntur de Canonicis, Beneficiatis, & Præbendatis Collegiarum Ecclesiarum Sæcularium, habent locum in Monasteriis, Collegiis, & Ecclesiis Conventualibus Regularium, adeò ut hi exigentes aliquam summam in admissione, & receptione Novitiorum, dicantur illicite recipere, & simoniam committere? Respondetur, quod de hoc sunt text. *in c. non satis, in c. veniens, & cap. quoniam de simon.* in quibus prohibetur expreſſe nè aliquid recipiatur, aut exigatur temporale, tam pro ingressu ad probationem, & susceptionem habitus, quam pro ipſa profēſione, quia cum ſint actus, qui ordinantur ad ſalutem animæ & perfectionem charitatis, ſunt invendibiles, & pecunia fine simonia recipi non potest: Quod verò attinet ad abuſus illos, qui ex conſuetudine fūnt circa apparatus, & ſumptus conviviorum, in ſuſceptione habitus, & profēſione Regularium utriusque ſexus, & alia dona, quæ cum exactione, ſeu paſto expreſſo, vel tacito, quaſi extorquentur à Regularibus, tanquam corruptela ſub poena excommunicationis quo ad personas particulares, & ſuſpensionis quo ad Capitula reprobatur talis Confuſtudo in Extravag. 1. de ſimon. niſi libera-liter, & ſpontē dentur. Ideoque expenſæ, quæ in profēſione ſunt necessariae debent taxari ab Epifcopo, ut talis corruptela removeatur Gavant. in Manual. verb. Monial. profēſio n. 25. Dion. prax. regul. tom. 4. tr. 12. qu. 21. n. 3. & iterum dicam infra.
- <sup>15</sup> Verūm Consuetudo, quæ in Monialium dotibus jam obtinuit, damnari non potest, tum quia non exigitur temporale pro ſpirituali, tanquam pretium, ſed ſolum requiritur tanquam conditio, ut do-tem Moniales fecum deferant pro earum necessaria ſuſtentatione: nè Monasteria accessu novarum personarum graventur, tum quia talis Consuetudo Decretis, & Apofolicis Constitutionibus expreſſe ap-probata reperitur, ut jam dixi to. 1. tit. 11. ad form. 7. n. 10. & 11.
- <sup>16</sup> In Religionibus autem Virorum, licet probabilis ſit nonnullorum DD. opinio, quod ubi adefit Consuetudo, & Monaste-
- rium ſit inops non ſolum poſſit recipi id, quod pro vietu, & veltitu' neceſſarium eſt tempore probationis, & quod merē volun-tarie, & ſpontē offertur à volentibus ingredi religionem, ſed etiam de eo paciſci tempore profēſionis titulo neceſſariæ fuſtentationis, & indigentia Monasterii, quoſ refert, & ſequitur Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 3. n. 59. & 60.* nibilominus de hac opinione in praxi valde eſt dubiandum: quia canones ſuprā allegati in-differenter prohibent aliquid exigi etiam <sup>18</sup> pre-textu paupertatis, ut habetur in d. c. *quoniam de simon.* & paſtiones fieri ut in d. cap. *non satis,* & in citata Extravag. de ſimon. & D. Th. quem pro ſe allegat Pi-rhing. 2. 2. q. 100. ad 4. admittit quidem, quod poſſit recipi aliquid pro vietu perſonæ recipiendæ, ſi Monasterium ſit tenuę, ſed negat quod ſit licitum recipere, vel da-re ex paſto pro receptione, & ingressu.
- Nec dici poſteſt, quod id, quod recipi-<sup>19</sup> tur, non recipiatur pro pretio admissionis, ſed pro indigentia: quia ut dicatur paſtio illicita ſaltē präsumptiva, ſufficit quod fiat occaſione admissionis: ideoque rece-dere non debemus à juris diſpoſitione, pro-ut in his präcīſis terminis respondit *Sacr. Congr. Concili in Laodicea.* in qua cum PP. Carmelitani Leodii dubium proposuiffent; & declarari iſtituiffent --- *An in receptione Novitiorum licitum ſit, exigere ab eis, vel eorum Consanguineis aliquam ſummam ul-trā mensuram alimentorum, etiam titulo eleemosynæ, & à ſpontē dantibus,* *Sacr. Congreg. die 9. Febr. 1697.* dubio in plena Congregatione proposito, respondit -- ſer-vetur diſpoſitio juris -- de qua resolutione nefas eſt dubitare, quia illam habeo ſub-ſcriptam manu Em. olim D. Mei Cardin. Petrucci, tunc temporis unus ex Judicibus illius ſapientissimi Tribunalis. Quæ pro-<sup>20</sup>pter quia in hac materia debenius tutio-rem viam capere, ne detur occaſio ſcan-dali, Regulares ab hujusmodi paſtionebus debent abſtinere, & de his, quæ Concil. Trid. concedit contentieſſe, non enim in jure ſuſſit, quod canonibus prädictis poſſit per contraria confuſitudinem de-rogarī, quia jura labem ſimoniacam ve-tantia, cum ſint juri Divino conformia, per non uſum tolli non poſſunt, ut adver-

Q. 2. tit.

tit Parif. de confident. q. 38. n. 33. Navar. conf. 1. n. 6. de simon.

**21** *Et Ecclesiastico interdicto subjectum denunciamus.* Ob causam expressam hic in formula, Capitulum declaratur suppositum interdicto, quia excommunicari non potest, licet personæ Capituli particulares excommunicationem Papæ reservatam inciderint, Parif. de ref. lib. 5. q. 6. n. 210. Sayr. de censur. lib. 1. c. 8. n. 20. & 21. quod quidem interdictum æquiparatur suspensioni, cuius relaxatio excepto mortis articulo, Pontifici reservata est, ut in d. Bulla cavetur expresse, & advertunt Leo thes. for. Eccles. par. 3. c. 1. n. 5. Galler. Mart. collect. in Cons. Trid. d. c. 14. sess. 24. de ref. n. 4. ideoque tamdiu à celebratione divinorum abstinere debet, donec restitutionem à Romano Pontifice meruerit obtainere, aliás enim interdictum non servantes Canonici, & Capitulares, efficerentur irregulares à solo Papa dispensandi, Parif. loco citato n. 211. & seqq.

**22** Episcopus verò si d. Constitutionis fie-

ret transgressor, à Pontificalibus est ipso jure suspensus: qua suspensione durante licet Pontificalia exercere non possit: tamen absque incursum irregularitatis potest celebrare missam, saltem privatim: de solemni enim dubium est, Sayr. de censur. lib. 4. c. 16. à n. 26. cum seqq. ubi plene quæstionem examinat Barb. in c. 2. n. 15. & 16. de offic. & potest. jud. deleg. in 6. ibi que Passerin. n. 15. cum autem Episcopus ab ingressu Ecclesiæ interdictus est: non potest interdicto durante in Ecclesia celebrare, neque privatim, nec Sacraenta ministrare, nec aliquem in ea Sacri Ordinis actum exercere, nec audire divina officia, nec prefällere, nec orare, nec sceliri si interim moritur: sed solum extra Ecclesiam privatim poterit celebrare, Sayr. de censur. lib. 5. cap. 9. num. 21. & 22. Passerin. loco cit. num. 13. Si autem esset suspensus, & solemniter populum benediceret per hæc verba -- sit nomen Domini benedictum irregularitatem incurriteret, Sayr. de censur. lib. 4. c. 16. n. 16.

### De Irregularitate in particulari.

#### §. U N I C O.

##### De Irregularitate contenta in cap. de cætero II. de homicid.

**Q**uanquam dispositio hujus text. & aliorum antiquorum canonum, idest, c. sicut Sacerdotes 2. quest. 7. c. nullus clericus il 2. c. bis a quibus 23. qu. 8. sit moderata, & hodiè possint Clerici in judicio laicos malefactores pro injuriis sibi illatis accusare, & accusationem prosequi, cum pretestatione tamen, cùtra pœnam sanguinis, juxta permissionem indultam à Bonifacio VIII. in cap. prelatis de homic. in 6. nihilominus, vel quia dictam protestationem accusando, & querelando omittunt, vel formam debitam ibi præscriptam non servant: sepe irregularitatem incurront. Quare si opus sit illam denunciare v. g. in casu sequenti, Decretum modo hic expresso concipi poterit.

Decre.

Decretum denunciationis irregularitatis.

F O R M U L A U N I C A.

**A**Ttentia relatione, & juribus exhibitis per nostrum Prom. Fiscalem, ex quibus constat Presbyterum N. querelam criminalem pro delicto mortem, & mutilationem merente in Tribunalis seculari N. contra N. malefactorem expulsisse, nulla servata forma c. prelatis de homic. in 6. & praedictum accusatum penam ultimi supplicii, vigore sententiae Judicis luisse (vel mutilatum fuisse) declaramus ipsum Presbyterum N. accusatorem, & querelantem irregularitatem incurrisse, & irregulararem esse denunciamus, & eideem, & quibus interest hoc nostrum Decretum intimari mandamus.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

- 1 Clericus de accusatione criminis porrecta in Tribunalis laico, inquire non debet, nisi constet ex actis.
  - 2 Clericus porrigit querelam in Tribunalis laico sine protestatione, non sit irregularis, quando crimen mortem, aut mutilationem de jure non meretur.
  - 3 Clerici criminaliter accusantes ad vindictam, morte, vel mutilatione querelati sequuta, incurront irregularitatem non obstante protestatione, vel si illam omittent ex obliuione.
  - 4 Clerici, ut querelare licet possint, debent accusationem exponere pro se, vel suis, actione civili, & præmissa protestatione, & n. 5.
  - 5 Datur forma accusationis, cum protestatione.
  - 6 Protestatio debet fieri in scriptis.
  - 7 Protestatio est facienda in causis criminalibus, tam in levibus, quam gravibus delictis, & n. 9.
  - 8 Non exigitur protestatio, quando querela porrigitur in Tribunalis Ecclesiastico.
  - 9 Protestatio factenda est etiam à laicis, ut evadant irregularitatem.
  - 10 Clericus querelans sine protestatione, si fiat irregularis, antequam declara-
- Monacelli Form. Pars III.

retur à Judge, debet moneri an aliqua possit competere defensio.

- 13 Damnati ad Tiriem, an, & quando evadant irregularares, ostenditur & n. 14.
- 15 Clerici Sæculares, vel Regulares recurrentes in suis causis ad Judices laicos, quando evadant irregularares, ostenditur, & n. 16.
- 17 Comitans homicidam, non efficitur irregularis, quando ignoranter facit.
- 18 Petens veniam, aut absolutionem, non fatetur delictum, sed censetur petere ad cautelam.

A D N O T A T I O N E S.

**E**X QUIBUS CONSTAT. Antequam Ordinarius ad hanc declaratoriam procedat, debet sibi per exhibitionem Processus, vel ejus copiam authenticam, in quo adsit querela nomine Clerici porrecta, de corpore delicti constare: non enim sufficeret, quod de hoc esset diffidatus, vel testes de auditu deponerent: nam haec indicia ad hunc effectum insirma sunt, ex mox dicendis.

Pro delicto mortem, & mutilationem merente. Hoc exprimitur in formula, ad indicandum, quod querela, sive accusatio, quæ porrigitur à Clerico in foro seculari contra malefactorem sine

Q 3 pro-

protestatione injuncta in d. c. prælatis, ad effectum incurrendi irregularitatem, debet esse pro delicto qualificato, quod merreatur sententiam sanguinis: nam si querela esset de crimen levi, quod poenam mortis, vel mutilationis de jure non meretur, omissione protestationis irregularitatem non induceret, etiam si Judex excedens limites justitiae, accusatum ad mortem, vel mutilationem manus damnaret, vel reus sponte crimen morte dignum fatus, sententiam sanguinis pateretur, ut de communi tradunt Grass. de effect. clerical. effect. 12. n. 19. Barb. in d. c. prælatis de homic. in 6. n. 12. Passerin. ibid. num. 6. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 12. n. 110. Bonaccin. de irregularit. disp. 7. q. 4. n. 7.

**3** Nulla servata forma, &c. Duplici modo Clerici criminaliter agendo in foro laico irregularitatem (morte, vel mutilatione querelati sequita) incurrere possunt, & de facto incurront. Primo, quando agunt directe ad vindictam publicam, seu poenam accusati, sive tanquam accusatores, sive tanquam testes, licet hoc faciant cum protestatione citra penam sanguinis: quia tunc talis protestatio vana est, & inutilis. Secundo quando omittunt protestationem expressam, licet ex obliuione, ut de primo casu Grass. d. effect. 12. n. 9. Pirhing. loco cit. n. 101. Raynald. obser. crim. tom. 1. c. 10. §. 8. n. 86. & 88. & de secundo, Barb. in d. c. prælatis n. 9. Sayr. de censur. lib. 6. c. 18. n. 3. Guazzin. jun. ad def. animar. lib. 2. c. 45. n. 88. Raynald. loco citat. num. 84. Bonacc. de irregul. disp. 7. q. 4. n. 8.

**4** Ideoque ut sine metu, & periculo irregularitatis valeant malefactores accusare, tria debent concurrere, scilicet, quod querela exponatur pro causa propria; quod judicium criminis intentetur actione civili, & quod praemittatur protestatio. Dicitur autem causa propria, non solum si offendatur in persona, vel bonis propriis, aut suæ Ecclesiæ: sed etiam si Clericus offendatur in persona, & bonis suorum Contingueorum, v. gr. Parentum, vel fratribus, pro quibus praemissa protestatione, quæ late potest, Ricc. in prax. tom. I. ref. 1. & decis. Cur. Archlep. 136. n. 6. Passer. in d. c. prælatis n. 7. Ray. in d. c. prælatis. n. 30.

Secunda conditio scilicet, quod criminale judicium Clericus non intentet, sed civile, formalitatem tantum actionis importat, quia licet crimen de jure sit punendum pena mortis, seu mutilationis in vindictam publicam, & pro communi bono, & accusans hoc sciat, & criminaliter sit agendum contra delinquenti: tamen Clericus denuncians vel accusans non debet hoc intendere, sed actionem de crimen intendere debet, ut civile, petendo emendam fieri, vel sibi provideri, ut dicitur in d. c. prælatis: licet enim offensus remittere debeat rancorem, & odium, non tamen tenetur remittere id, quod pertinet ad sui, & bonorum suorum defensionem & conservationem, neque jus denunciandi, & accusandi apud Judicem, gloss. in d. c. prælatis verb. emendam. Barb. nu. 11. Passerin. n. 12.

Tertia conditio, quæ est protestatio expressa, post expositam querelam, sed denunciam delicti sic poterit, & debebit impleri. Peto ideo civiliter coram Dominatione Vestra satisfactionem, & emendam (vel restitucionem) mibi ad N. qui injuriam, & damnum intulit exhiberi, & provideri, ne contra me, vel meos talia de cætero presumantur, protestorque, me nulla ratione intendere vindictam seu poenam sanguinis, mutilationem, vel mortem d. accusati, sed in iuriæ, & dannillati estimationem.

Hæc protestatio facta in limine accusationis, seu ante sententiam Judicis ad evitandam irregularitatem prodest in foro externo, etiam si fiat animo ficto, desiderando scilicet interne vindictam, ut volunt DD. supra citati: qui etsi dicant etiam, quod non sit necessarium, ut protestatio fiat in scriptis, & quod sufficiat verbali expressa: nihilominus in praxi secundum est bonum consilium gloss. in d. c. prælatis verb. protestando, ubi dicit, quod pro cautela fiat de hoc publica scriptura: & quidem recte monet, nam cum requiratur certa forma, illam servatam fuisse constare debet in foro externo (quidquid fiat in foro animæ) ad hoc, ut Clericus querelas molestari non possit, & hoc approbat quoque Sayr. de cens. lib. 6. d. cap. 18. n. 6. in fin. & alii ab eo allegati.

Porro licet DD. supra allegati in §. Hoc ex-

exprimitur, de magis communi firment, quod in delictis levibus dicta protestatio non sit necessaria, ejusque omissio, querelantem irregulariter non faciat: adhuc mihi videtur, quod in omnibus delictis criminalitatem involventibus sit adhibenda: moveorque ad ita sentiendum ex verbis textus ibi -- *Qui de laicis suis malefactoribus querelam penes secularem Judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur protestando expresse, quod ad vindictam, seu penam sanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis alias in tali casu de jure debeat pena sanguinis irrogari: hæc inquam verba textus universalia sunt, & implicant casus leves minus dubios, & explicant graves magis dubitabiles, per dicti illam, quamvis Barbol. d. 304. quæ æquipollit dictioni etiam, qua utitur gloss. in verb. prælatis ubi ait --- sine pena irregularitatis possunt Clerici de suis malefactoribus conqueri coram Judice, sæculari, etiam de criminibus, ex quibus debetur pena sanguinis expresse protestando quod ad pœnam sanguinis non intendunt, & sic tum ex universalitate verborum textus, tum ex sensu, & explicatione gloss. protestatio adhibenda est, tam in levibus, quam in gravibus delicti, saltem ad cautelam, & siue Clericus siue accusator, siue testis.*

<sup>10</sup> Non tamen exigitur, quando querela porrigitur in Tribunali Ecclesiastico, quia *Judex Ecclesiasticus non potest procedere ad sententiam mortis, vel mutilationis, etiam si delictum sit valde enorme, ita ut accusatus pœna degradationis sit puniendus, Passerin. in dict. c. prælatis n. 4. Pirthing. loco supra cit. n. 110.*

<sup>11</sup> Hanc autem protestationem ad effundendam irregularitatem debent facere etiani laici: nam hi accusantes de crimine digno morte, vel mutilatione, licet non peccent, tamen sine protestatione irregularitatem incurront ex defectu perfectæ lenitatis, ut ajunt Navar. in manual. c. 27. n. 213. in fin. cum aliis, quos referunt, & sequuntur Passerin. loco cit. n. 20. Pirthing. n. 108. Unde non possent ad ordines promoveri, nisi obtinerent dispensationem.

<sup>12</sup> Et irregulariter esse denunciamus. Denun-

catio irregularitatis incurse, facienda est, tam in calu formulæ, quoties eveniat, quam in aliis, in quibus irregularitas est publica, & notoria, & tamen Clericus irregularis, monitus ab Ordinario, non se absinet ab exercitio ordinum vel alio modo contemnit: est tamen antequam denuncietur citandus, ad dicendum causam quare non debeat irregularis declarari ob talem causam, quando aliqua defensio facta, vel juris potest competere; secus autem quando incursus est certus, & defensio nulla competit, prout in casu figurato in formula.

Quod exemplificari potest in damnato<sup>13</sup> ad Triremes, qui licet, ut plurimum irregularis evadat: non tamen hoc accidit semper, ideoque, hic non est reputandus, nec denunciandus irregularis, nisi prius fuerit citatus, & auditus. Et quamvis plures DD. velint absolute, quod damnati ad Triremes efficiantur infames, & irregulares, quos refert, & sequitur Ciarlin. controv. 207. num 53. horum tamen opinio non est pacifica, cum contrariam sententiam tueantur Ricc. decis. 119. part. I. Pac. Jord. eluebr. tom. 2. lib. 10. tit. 21. n. 85. & quatenus verior esset, non est recipienda, nisi unum de duobus concurrat, videlicet: vel quod damnatus ad Triremes actu remigaverit, juxta Decretum Sacr. Congreg. S. Officii emanatum anno 1635. tempore Urbanj VII. quo statuitur, quod Presbyteri tam sæculares, quam regulares damnati ad Triremes, si actu Remiges fuerint non habitentur ad exercitium Ordinum, quod per extensum refert Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 12. §. 13. vel quod delictum, pro quo damnatus fuit, de jure infamiam habeat annexam, alias enim hoc genus pœnæ, non irrogat infamiam, nisi causa eam dignens præcedat, prout prædictas pugnantis opiniones conciliando, latè firmat Raynad. obser. crim. addit. ad c. 8. §. 1. n. 45. per tot. post tom. 2. quem allegavi par. 1. tit. 4. ad form. 9. n. 6.

Et hinc est, quod præcis his circumstantiis damnatus ad Triremes peracta penitentia, seu adimplenta pœna, posset ad exercitium ordinum restitui, vel ad eos etiam Sacros, & ad Dignitates promoveri, absque dispensatione Apostolica ut in praxi semel servasse testatur Pac. Jord. dict. num.

Q. 4

num. 85. tum quia infamia facti, quæ inde oritur, non inducit irregularitatem, etiam si damnatus sit infamis ob publicitatem criminis, ut tradunt Garz. de benef. part. 7. cap. 8. num. 64. & duob. seqq. Bonaccin. de irregular. disp. 7. qu. 3. punct. 1. num. 5. & 7. Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 12. n. 5. vers. limita tertio: tum quia per triennalem vitam laudabilem aboletur, & bona fama recuperatur quoad omnia, Barb. de offc. Episc. alleg. 43. num. 23. Pac. Jord. clucubr. 20. 3. lib. 14. tit. 17. num. 111. tum demum, quia in ea Episcopus dispensat, Navar. in manual. cap. 27. num. 204. Gavant. in manual. verb. irregularitas num. 27. Verum est tamen, quod in hoc, Ordinarii arbitrium prudenter adhibendum est, & raro in promovendo.

35 Item exemplificatur in Clericis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, qui in suis causis recurrent ad Judices, & Principes Sæculares, hi etenim cum excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ incurvant; licet si post recursum exercant ordinem solemniter, vel missam celebrent: evadant irregulares, prout de Regularibus respondit S. Congr. Immunitatis in una Ulyssiponen. 6. Nov. 1688. lib. Decr. Martell. pag. 373. & de Clerico Sæculari in Alatrina 29. April. 1704. lib. 3. Dec. Vallem. pag. 576. non sunt tamen reputandi, nec denunciandi irregulares, nisi quando ex eorum recurso sequatur impedimentum jurisdictioni Ecclesiastice, executioni mandati Rotalis, vel litterarum apostolicarum; aut alio modo Judex, vel Princeps laicus apponit manus, & auxilium præstat; ut in d. Alatrina, in qua Clericus brachium Sæculare obtinuit pro capienda possessione Beneficii: alias enim irregularitatem non incurrerent, quia sol-

lus affectus recursus, nisi sequatur effectus, non punitur, ad tradita per Card. de Luc. miscellan. decis. 17. n. 9.

Item in eo, qui comitatur homicidam nam hic, licet regulariter, irregularitatem incurrat, regula procedit quando comitans, comitatur ad cædem patrandam, & paratus est opem ferre, licet postea actu non operetur, nec educat arma, quia ex sola ejus præsentia aggressor fit audacior ad occidendum, & sic dicitur aliquo modo, influere in homicidium: non autem quando comitans ignorat homicidam procedere ad occidendum, & alia de causa eum comitatur, & præsens invenitur homicidio; nam tunc, quia illud nec voluit, nec cooperator extitit, ex sola præsentia, vel ex eo solum, quod non impedit, non efficitur irregularis, ut tradunt Navar. 17 confil. 7. num. 1. & 2. & confil. 23. num. 2. de homic. Bonaccin. de irregular. disp. 7. qu. 4. punct. 8. nu. 36. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 12. n. 41. & 42.

Item exemplificatur in eo, qui non occidit, neque fuit in culpa; sed veniam, vel absolutionem, aut dispensationem petiit ad cautelam, ex hoc enim non probatur: quod petens veniam, absolutionem, aut dispensationem, sit in culpa, vel excommunicatus, aut irregularis: sed impedimentum habeat, licet si non peteret ad cautelam, sed simpliciter, presumatur contra petentem, c. exhibita ibique glof. de homic. Innoc. in cap. 2. de ord. cognit. n. 9. Graff. dec. aur. par. 2. lib. 2. c. 19. n. 57. & 58. Rot. coram Manzaned. decis. 148. n. 9. Imò ex eo, quod quis fuit absolvitus ab excommunicatione, non probatur fuisse excommunicatum, quia fuit forsitan absolvitus ad cautelam, tenet Lazar. quæst. can. sect. 4. q. 16. n. 16. in fin.

FOR-